



Disputatio juridica inauguralis de obligationibus

<https://hdl.handle.net/1874/340678>

2

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
OBLIGATIONIBUS,

QUAM
DUCE ET AUSPICE S.S. TRIADE.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque in Inlyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Alma ac
Nobilissima Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitime consequendis.

Eruditorum Examini subicit

LEVINUS VAN DOORN, GOESA-ZELAND,
Ad diem 21. Martii, hora locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM;

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, clo Ioc LXXXVII.

Nobilissimo ac Strenuissimo

Urbis Goezanæ

P R A E T O R I.

*Amplissimis ac Gravissimis
eiusdem Civitatis*

C O N S U L I B U S

S E N A T O R I B U S,

qui que iis sunt

A S E C R E T I S

P A T R I A E P A T R I B U S

*Meritissimis vigilantissimis dominis
suis ac fautoribus.*

*Hanc Disputationem inaugurelam, ea qua
par est animi observantia*

D. D. D.

LEVINUS van DOORN.

AUCTOR.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
OBLIGATIONIBUS.

THESIS I.



Disputatur de Obligationibus non inconcinniter ac abs re me facturum arbitror, si in antecessum quæstionem, quam Doctores ac interpres circa nobilem hanc materiam movere solent, præmittam, tum ut hæc dissertatio mea fiat clarior, tum ut meliori ordine ac methodo procedat, quæ est; *Utrum Obligationes sint referenda ad secundum juris objectum, quod est jus rerum?* Sunt qui arbitrantur eas non ad res sed ad actiones vel ad personas esse referendas, quorum opinionem plane erroneam statuimus.

Contra obligationes ad tractatum rerum pertinere evidenter constat, cum ea omnia quæ in bonis & patrimonio nostro sunt, ad res pertineant, nec solum res corporales, verum etiam incorporeles. *tit. f. de Reb. corp. & incorp.* quo loco inter res incorporeles, cum hereditate, Usufructu, Servitutibus, numerantur etiam obligationes, ut res in bonis nostris, & acquisitioni subjectæ, & ipse *imper.* noster de iis, tanquam rebus incorporealibus se in sequentibus acturum pronunciat. *§. ult. f. de Uſt. & habiliat. add. l. 49 ff. de V. Sign.* neque enim aliter potest esse, sive essentiam obligationum spectemus, sive objectum earum, sive finem ultimum, quin referri, debeant ad eam nostræ disciplinæ partem, quæ est de jure rerum.

Inter alios qui solidum hoc fundamentum in jure fundatum subvertere nituntur est. 1. Theophilus, qui contendit obliga-

A 2 tiones

4 DISPUTATIO JURIDICA

tiones reducendas esse ad doctrinam de Actionibus tanquam eorum causas ac matres.

Hoc autem falsum esse vel ex uno hoc appareat, quod ista consideratione non magis obligatio ad actiones pertineat quam dominium, quam cætera in rem jura, quippe quæ & ipsa singulas suas actiones habent & pariunt. *l. i. §. 2. ff. & 13. I. de Act.*

Major vero nobis lis est cum *Vultejo*, qui lib. 1. disc. Schol. 16. & ad *Rnbr. de Obligat.* contendit obligationes referandas esse ad jus personarum, quem secutus est *D. Anton. Matth. colleg. instit. disp. 3.* at neque hanc rem acu tetigisse arbitror. Argumentantur itaque primo quod obligatio personæ inhæreat. Frivola enim hæc est oppositio, cum eodem modo & eadem ratione ei replicare possim, sic multo magis usum & usumfructum ad jus personarum referri oportere. Sed appetet, ut recte observat *Vinnius*, *Vultejum* obligationes tantum considerasse in relatione ad personam debitoris, cum præcipue hic considerandæ sint ratione creditoris, qui eas contrahendo sibi acquisivit, easque suo modo vendendo, donando, legando in alium transferre potest: quæ ostendunt obligationes à parte creditoris in commercio esse, quod de jure personarum, puta libertatis, civitatis, familiæ nemo dixerit. Etsi enim obligatio personam obligati afficit, non tamen afficit, quatenus consideratur ut persona, sed quatenus ut debitor dicitur respectu rei quæ debetur: Neque enim hic finis principalis est obligationis, ut personam tantum nobis habeamus obligatam, sed ut rem in obligationem deductam consequamur *l. 3. ff. de obligat. & act. l. 38. § 17. ff. de Verb. obligat.* Neque obstat quod si obligatio ad jus rerum pertineret, uti dominium pertinet, tum ex obligatione quoque, uti ex dominio, competenteret actio in rem, quia actio ex obligatione non ideo in personam esse dicitur, quia per eam aut personam, aut jus aliquod, quod in personam aut personæ sit, persequimur, sed quia hæc actio in personam obligati dirigitur, & semper adversus eum locum habet, cum in rem actio cum re ambulet, & sequatur possessorem. *l. 25. ff. de obligat. & act.* atque hæc de hac quæstione determinasse nos sufficiat, nunc ad rem ipsam.

II. Obligationis vocabulum ita dictum videtur à ligando seu obstrin-

A R I T A U G U R A L I S.

obstringendo, estque vox Metaphorica; desumpta à vinculis corporeis; atque sumitur in jure nostro vel late vel stricte: late, quando quis ex quacunque causa alicui ad præstandum quid vel restituendum adstringitur, hoc sensu capi videtur in rubrica ff. de obligat. & act. ita ut, non solum obligationem in stricto significatu de qua statim, & unde fluit actio in personam, sed etiam qua rem domino restituere tenetur possessori, qui inde actione in rem conveniri potest, denotet. Strictius sumitur pro nexu, quo quis facto suo conventione nimirum vel ex delicto aliquo ad aliquid præstandum vel faciendum est adstrictus. Quæ significatio proprie est ejus loci, huc non ineligeranter alludunt versus qui extant in C. GL.

Verba ligant homines, taurorum cornua funes,

Cornu bos capitari, voce tenetur homo.

Si quis hic à me quærat utrum obligationes sint, juris gentium, an juris civilis, respondebo utrumque esse sano sensu verum, videlicet sunt ex jure gentium quo ad originem & substantiam suam, uti apparet ex l. 5. ff. de justit. & jur. formam tamen accidentalem & vim accipiunt à jure civili.

III. Omnis igitur obligatio in genere haud male definitur *vinculum quoddam juris*, quo adstringimur ad aliquid præstandum vel faciendum. Pr. I. de Obligationibus & l. 3. pr. ff. de obligat. & act. qui autem istiusmodi juris vinculo alium obstrictum habet, creditor vocatur, & qui tali vinculo tenetur, debitor proprieditur l. 10. & duab. seqq. ff. de V. sign. atque illud quod vi obligacionis solvendum & præstandum est, debitum & deberi proprie dicitur. l. 1. §. 7. & seqq. ff. de Constit. pecun. d. l. 10. & seqq. ff. de V. sign. idque in dando vel faciendo consistit l. 3. pr. & l. 25. pr. ff. de obligat. & act. l. 2. pr. ff. de verb. obligat. §. 1. l. de act. In dando consistit debitum, si debitor rem creditoris facere, hoc est rei debitæ dominium in ipsum transferre tenetur l. 75. §. fin. ff. de V obligat. l. 11. §. 2 ff. de act. empl. & vendit. l. 1. pr. ff. de rer. permut. in faciendo debitum consistit, si debitor obligatus est ad factum, quo dominium in creditorem transferre non cogitur. Cum enim dare & facere in jure opponantur, & dare proprio sit dominium transferre: sequitur inde, factum proprio

DISPUTATIO JURIDICA

esse, quo dominium non transfertur, sed ejusmodi factum est aut rei traditio l. 11. ff. de act. empt. & vendit. vel opere prestatio. l. 26. & 38. ff. locat. l. 13. pr. & fin. ff. de re judat. Cum autem ad præstationem alicujus rei aliquando nos adstringat sola æquitas & ratio naturalis, interdum mera subtilitas juris civilis, ut plurimum autem jus naturale ac civile simul, pro hac juris varietate obligatio in tres species recte dividitur, in naturalem puram meram civilem, & mixtam: de quibus singulis hic quædam dicenda sunt.

IV. Primo loco hic sese offert naturalis obligatio, quæ nititur sola tantum æquitatis ratione, & ita describi potest, quod sit vinculum nature & æquitatis, quæ conscientias quidem hominum devincit, & ad solvendum adstringit l. 95. §. 4. ff. de solut. Ut nulla tamen eo nomine jure civili competit actio.

Dicitur ea naturalis non à natura, seu à naturali instinctu nobis cum brutis animantibus communi, sed à natura humana, quæ solum quod æquum est, dictat. Hæc naturalis obligatio iterum distinguitur in naturalem imperfectam, seu ut alii malunt, minus plenam & perfectam seu plenam.

IV. Obligatio naturalis imperfecta est, quæ non ex facto aliquo ad obligationem tendente oritur, sed quæ fluit tantum ex jure naturæ, & dictamine recte rationis ac in terminis meræ honestatis & æquitatis consistit adeoque nec ullam actionem nec alias effectus parit; unico verbo, cui lex nullam vim tribuit, neglit eam & tantum naturalitati suæ & conscientiis hominum relinquit: ejusmodi obligationum plurima possunt enumerari exempla, ut talis est obligatio gratitudinis & causa beneficii accepti unde obligatio ad avrilia se ad remunerationem; nec enim convenit beneficia foenerari aut in Kalendario scribere, sed pudor saltem accipientis adstringitur ex jure gentium l. 25. §. 11. ff. de petit. hereditat. l. 54. §. 1. de furt. Obligatio pietatis, qua parentis filię, quam in potestate non haberet, dotem dare tenetur. Quæ omnia in totum juris civilis auxilio destituuntur, plura possent addi exempla, quæ brevitatis causa omittam.

VI. Obli-

VI. Obligatio naturalis perfecta est, quæ oritur ex negotio, per se & natura quidem ad producendam actionem apto, ita ut ex naturæ jure gigneret actionem, sed quæ à jure civili ita limitatur, ut quamdiu sola est in foro civili actionem sive exactiōnem parere nequeat, seu quæ ntitur hoc fundamento juris gentium, *pacta esse servanda.* l. i. §. 1. ff. de pæt. ac de hujusmodi obligatione potissimum agunt Jcti, cum ajunt aut negant naturaliter quem obligari, ut videre est l. 13. 19. 38. 41. & 64. ff. de Condīt. indebit. l. 10. ff. de obligat. & Act. l. 5. §. 2. ff. de solut. & similibus locis.

VII. Ut autem naturalis tantum, non etiam civilis simul sit obligatio, facit aut qualitas conventionis, aut persona paciscentis contrahentisve aut qualitas personæ & negotii simul.

1. Non omnis conventione obligationem civilem parit, sed illa duntaxat, quæ in proprium nomen contractus transit, vel cui præter conventionem alia subest obligandi causa, vel quæ legitima dicitur, aut quæ contractui in continentem adjicitur. l. 6. & 7. pr. §. 2. & 4. ff. de pæt. ex cæteris quæ solo placiti sine stant, nascitur duntaxat obligatio naturalis. Quippe nudis pactis vim tales obligandi Romanæ leges tribuere noluerunt, ut ex iis etiam ultro agere liceret. l. 10. C. de pæt. l. 27. C. locat.

2. Facit qualitas personæ contrahentis, ut ex conventione quantumvis idonea, tantum naturalis obligatio oriatur veluti si pupillus intelligens quid agit, contraxerit sine tutoris auctoritate. l. 127. de Verb. Obl. l. 1. fin. ff. de novat. l. 14. de Obl. & Act. l. 13. de Condīt. indebit. aut is cui bonis interdictum est l. 6. de verb. Obligat.

3. Personæ & negotii qualitas simul, veluti si mulier intercessit contra S--Cſtum Vellejanum l. 16. §. 1. ff. ad S--Cſtum Vellejanum. Filius familias mutuam, pecuniam acceperit contra S--Cſtum Macedonianum l. fin. cum seq. juncta l. 1. ff. de S--Cſt. Maced. Huc etiam resero eam, quæ oritur ex voluntate testatoris testamento minus solenni declarata. l. 2. C. de fideicommis, l. 5. §. 15. ff. de donat. inter Vir. & uxor. item eam, qua heres legatis oneratus tenetur ea integra præstare citra detractionem falsidæ. l. ult. C. ad l. falcid. in omnibus hisce exemplis allegatis ad- est

3 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

est naturalis obligatio ejusque æquitas sed tamen destituta auctoritate juris civilis: attamen obligatio hæc naturalis plena non plane & omnino est inefficax, neque omnino est civilis auxiliū expers; nam alios tamen effectus non pœnitendos & minime spernendos in sese continet, principales sunt hi:

1. Dat exceptionem *l. 7. §. 4. ff. de pact.*
 2. Impedit condicōnem indebiti, cum debitum naturale solutum sit & creditor potest retinere quod ita per errorem solutum, cum alias solvens semper possit repetrere tale debitum quod juribus non debebatur. *l. 13. 26. §. 12. ff. de condicōn. indebit. l. 10. ff. de Obligat. & Act. l. 19. ff. de condicōn. indebit.*
 3. Pignora eidem ac fidejussores accedere possunt. *§. 1. fin. f. de fidejuss. l. 6. & 7. ff. eod. l. 5. & 14. ff. de pign. & hypothec.*
 4. Ejusmodi debitum novari potest. *l. 1. §. ult. ff. de Novat.*
 5. Potest hujus naturalis debiti cum alio quovis fieri compensatione. *l. 6. de compensationibus.*
 6. Potest constitui. *l. 1. §. penult. ff. de constit. pec.* omnes hos effectus non dubitamus adscribere nudo pacto, is enim natura debet, quem jure gentium dare oportet, cuius fidem fecuti sumus, ait paulus in *l. 84. §. 1. ff. de R. Fur.* ubi de pacto haud dubie loquitur ut ex collatione *l. 1. p. ff. de pact.* liquet, quo qui tenetur, eum natura & jure gentium obligatum affirmat, daturque ei hic effectus, quod exceptionem producat. *l. 7. pr. & §. 4. ff. de pact.* Atque hæc de obligatione; videamus ergo de civili.
- VIII. Obligatio civilis, ut superius cœpi dicere, est vel civilis tantum, quæ dicitur mere civilis, seu civilis mixta quæ civilis & naturalis simul est.
- Obligatio mere seu simplex civilis est vinculum solius juris civilis, seu quæ nititur sola duntaxat legum Romanorum subtilitate citra æquitatem naturalem, & parit ea quidem actionem non autem exactiōnem, quatenus non potest cum effectu intentari, quoniam hæc, actio exceptione aliqua quam jus prætorium ex æquitate suggesta, elidi potest. Hæc autem talis est vel ab initio, vel ex post facto.
1. Ab initio hujus generis est obligatio, si quis vi vel metu coactus quid promisit, ipso jure obligatur, quia adest consensus

sus & voluntas juxta *Arist.* l. 3. *Ethic.* C. 1. veruntamen cum ini-
quum sit, quod metu gestum est, ratum haberi, ideo prætor,
qui hac in parte mitigat duritatem juris civilis, dedit exceptionem
quod metus causa, per quam eliditur actio ex ista obligatione
orta: idem dicendum, si quis dolo inductus aut errore lapsus
quid promisit. §. 1. & 2. *J. de except.*

2. Vel ea obligatio est ex post facto talis, ut qui ad tempus
promisit, etiam post tempus obligatur, cum jus civile dicat,
tempus non esse modum tollendæ obligationis, §. 3. *J. de
verb. obligat.*

3. Aut si post constitutam obligationem debitor cum credi-
tore suo pactus sit, ne peteret, etiam post pactum obligatur,
quo casu iterum potest opponi exceptio de non petendo. D. §.
3. *J. de except.*

Sed notandum est, hoc genus obligationis propemodum sine
re esse, & exitu inutile. l. 3. §. 1. ff. *de constit. pecun.* l. 112. ff. *de
R. jur.* l. 14. *de Compensat.* Plurimi hanc speciem obligationis rejici-
unt, *Vide Struv. Harpr. ad tit. J. de obligat. pr. Numero 24.* sed
absque sufficienti ratione, mea sententia.

IX. Hactenus de obligatione naturali & mere civili: or-
do nos vocat ad civilem mixtam, quæ præcipua est in hac
materia spectanda. Obligatio proprie sic dicta est vinculum æqui-
tatis pariter & juris civilis, quo quis ita adstringitur, ut actio-
efficax in eum detur.

Mixtam hanc obligationem voco propterea, quod eam &
naturalis sustinet æquitas, & simul juris civilis firmat auctoritas,
unde etiam sola plena præstandi necessitatem habet, & exactio-
nem producit, haec mixta jam, *κατέξοντες* & per excellentiam di-
citur obligatio in usu juris.

X. Hæc mixta obligatio, ut Doctores notant, est aut verè
talism aut saltem præsumptive, qualis est obligatio judicati, l. 25.
ff. *de stat. homin.* quippe res judicata pro veritate accipitur. l. 56.
dere judicat. l. vom. *de R. jur.* quamvis de facto contingere posset,
ut judex falsum judicasset. Talis secundo loco est obligatio con-
fessionis judicialis, quia confessus habetur pro judicato. l. 1. ff.
de confess. l. un. *C. eodem.* 3. Obligatio juris-jurandi voluntarii,

10 DISPUTATIO JURIDICA

aut potius sententia ex eo latæ. §.9. *J. de Att.* quia homo minime presumitur conscientiam suam aggravare, aut onerare vel le. Hujus generis 4. etiam est litterarum obligatio, ut si quis scripsit, se debere, quod sibi numeratum non est, & antiquitus intra quinquennium: jure novo autem intra biennium non repetierit chirographum suum, neque opposuerit exceptionem pecunia non numerata intra illud tempus, nihilominus ex tali scriptura tenetur, ac si pecunia numeratio revera intercessisset, quia hæc est præsumptio juris & de jure §.fin. *J. de litter. obligat.* in his omnibus tum non amplius queritur an debeatur, sed an judicatum, confessum, juratum, atque scriptum sit.

XI. Propius itaque & penitus cum imperatore nostro hanc materiam perspiciamus, qui nobis perfectissimam hujus obligationis civilis diffinitionem exhibet. *pr. J. de obligat.* cuius singula verba hic explicare & examinare lubet, utpote quæ continent omnia hujus obligationis requisita, definitio hæc est: Obligatio est juris civilis vinculum, quo necessitate adstringimur alius rei solvenda secundum nostræ civitatis iura.

XII. Definitio hæc itaque accuratissima est regulisque dialecticis optime conveniens, utpote constans genere proximo & differentia specifica. Generis loco hic ponitur *vinculum*, & metaphoricè denotat vinculum intellectuale seu ius vincens & ligans. Proprie loquendo non est vinculum, sed effectus vinculi, juris enim vinculum est contractus, vel quasi contractus, vel delictum, vel quasi delictum, obligatio vero est devinctio, que per hæc vincula fit. His enim vinculis, id est, contractibus aut delictis, quodammodo ligamur & creditoribus nostris devincti sumus, intercedit nimurum relatio inter creditorem & debitorem, quæ ex parte debitoris consistit in potentia passiva morali sive lege inducta qua devinctus est creditor, & ea vinculum juris vocatur; ex parte vero creditoris consistit in potentia activa morali, qua creditor debitorem tenet sibi devinctum, (& dicitur ius ad rem) inde Jcti in eadem perseverantes Metaphora, præstationem ejus, quod ex obligatione debetur, vocant solutionem; quasi qua vinculum illud constrictum iterum dissolvitur. Dixi præterea *quo necessitate*

eate adstringimur. Hæc & sequentia verba differentiæ specificæ loco addita, ad ipsam obligationis sustantiam, finem & effectum pertinent, obligatio nempe semper adjunctam habet præstatio-
nis necessitatem, quæ in eo consistit, ut nisi obligatus præster id, quod debet, jure judicioque cum eo experiri hoc nomine liceat, & invitum ad solvendum compellere *l. 13. C. de cont. empt.* quare obligatio quæ ex aliena voluntate, aut alieno arbitrio pendet obligatio non est, *l. 108. §. ult. ff. de Verb. obligat.* veluti, si quis ita stipuletur, *dabis?* & alter respondeat; *dabo,* si voluero: non contrahitur obligatio. Ratio: quia necessitate non adstringit, vel quia pro non dicto est, quod dare, nisi velis, cogi non possis, ut eleganter loquitur Pomponius in *l. 8. ff. de obli. & aet.* Necessitas autem hæc, qua obligatio adstringit, est multiplex, alia namque est arctior & validior, alia le-
vior & infirmior: quandoquidem alii tenentur præcise dare vel facere aliquid, alii per aliquam exceptionem possunt hanc sol-
vendi necessitatem exitare, ut suis locis hæc plenius docentur.

Alicuius rei solvende, & hæc verba emphasis habent: subje-
ctum obligationis hic est *Res.* *Rei* vocabulum hic generaliter &
late accipiendum est pro omni eo quod in obligationem deduci
potest, ita ut factum quoque sub se comprehendat *l. 1. fin. ff.*
de reb. credit. Proinde sive in dando obligatio consistat, sive in
faciendo, necessitas obligationis postulat, ut utrumque præste-
tur. *l. 3. ff. de obligat. & aet.* finis obligationis est necessitas, quæ
versatur circa illam solutionem: Verbum *solvendi* quoque gene-
rale hic est, cum in usu juris dicatur solvi, cum debita præstan-
tur. *l. 49. ff. de solut.* *l. 9. §. 3. & seqq. ff. de pign. aet.* eaque solu-
tione tollitur obligatio in *fin. pr. f. quib. mod. toll. obligat.* Non
errabimus itaque generaliter si dicamus sub solutione hic conti-
neri omnes illos modos, quibus ab obligationis nexu liberamur
ita ut sub *solvore* non solum nummorum solutio hic contine-
atur, sed omnis liberatio quomodounque facta & quælibet debiti
præstatio. *l. 54. ff. de solut.* *l. 176. ff. de Verb. signif.* imo qua-
liscunque satisfactio, quounque tandem modo satisfiat *l. 3. ff.*
de obligat. sive hoc fiat per acceptilationem, quæ est imaginaria
solutio, & veram solutionem quodammodo imitatur, cum fin-
gitur

12 DISPUTATIO JURIDICA

gitur intervenisse res quæ revera non intervenit. §. 1. I. quib.
mod. toll. obligat. sive per Aquilianam stipulationem, sive per no-
vationem, confusionem, & compensationem tot. tit. I. quib.
mod. toll. obligat.

Secundum nostræ civitatis jura. Ultima hæc definitionis verba
varie ab interpretibus explicantur, optime tamen ad illud totum
quod precedit, meo judicio referri possunt: temperatur hac ad-
jectione necessitas solvendi, ut intelligamus adstringi nos non
quibuslibet modis, non ex quavis causa, sed debito modo, quem
jura civilia præcipiunt. Quo modo inter cætera comprehenditur:
aliud pro alio, item alio loco, aliove tempore, quam
quo conventum est, invito creditori solvi non posse. l. 2. §. 1.
ff. de reb. credit. & arg. tot. tit. ff. de eo quod cert. loco dari oportet.
Sic qui centum debet, quinquaginta invito Creditori non recte
solvit: quia solutio debet fieri secundum jura civilia, quæ par-
ticularem solutionem non admittunt. l. 3. l. 18. §. 4. ff. famil.
erifc. l. 41. §. 1. ff. de Usur. l. 13. §. 8. ff. de act. empt. l. 57. in fin.
pr:ff. de adil. edict. item necessitate non quavis, sed in qua insit
ea cogendi ratio, quæ jure civitatis nostræ sit approbata: huc
jam posset referri, quod creditor non possit propria auctoritate
extorquere debitum à debitore, & sic privatus sibi jus dicere.

XIII. Expensa obligationis mixtæ definitione, sequitur ejus
prima & summa divisio, desumpta à causa efficiente remota in
civiles & prætorias, ita enim Imperatoris verba sunt in §. 1. I.
de obligat. omnium autem obligationum summa divisio in duo
genera deducitur, namque aut civiles sunt aut prætorię.

Obligatio civilis supra in partitione generali & sensu latiori
opponebatur naturali & mixtæ, & comprehendebat etiam sub
se illud genus obligationum, quæ hic prætorię dicuntur, hic
vero in stricto significatu opponitur prætorię, cum hæc divi-
sio non ad obligationem in genere, sed ad mixtam saltem per-
tineat. Neque huic divisioni adversatur. l. 5. ff. de pign. &
hypothec. ubi trimembris obligationis divisio extat, nimirum ci-
vilis honoraria & naturalis, facilis enim erit conciliatio, modo
intelligamus JCtum ibi duas species sub uno genere comprehen-
dere, nam ita in ea lege habendum est: omnis obligatio est
aut

aut naturalis aut civilis, civilis iterum est vel civilis in specie aut est prætoria, & sic nulla erit pugna.

XIV. Civiles in specie sunt, quæ aut legibus constitutæ sunt, & sunt ex, quæ originem suam tantum debent juri Romano, seu quas ante incognitas jus civile simpliciter introduxit, quæque à sanctionibus Romanis vim suam acceperint, exque sunt numero paucæ; ut talis est stipulatio tot. tit. I. de Verb. obligat. litterarum obligatio. tot. tit. I. de litt. obligat. Sponsalitia largitas seu donatio propter nuptias. Sic ex delicto quo tenetur fur nec manifestus. arg. § 4. I. de noxal. act. junct. pr. in fin. de perpet. & temper. act. item qualis est is, qui damnum injuria dedit, tenetur ex l. aquilia tit. I. de l. aquilia, cuius quadrupes pauperiem fecit. tit. I. si quadrup. paup. fecisse dicatur, qui arbores furtim cecidit. l. i. arbor. furt. caſar. injuriæ ex L. Cornelio. Referunt hoc vulgo eas, quæ, descendunt ex pactis speciali lege confirmatis, quæ dicitur legitima l. 6. ff. de pact. quale est V. caus. Pactum Legitimum l. 6. 35. §. ult. C. de donat. & pollicitatio dotis l. 6. C. de dot. promiss. illa obligatio quoque constitutione civilis est, qua tenetur is, qui ex SCto Trebelliano restituta est hæreditas.

Alię vero sunt jam à jure gentium inventæ, sed quæ à populo Romano receptæ, approbatæ & confirmatæ sunt, addendo, vel detrahendo aliquid iis, atque ita juris civilis sunt factæ, suntque ex innumerabiles l. 5. ff. de inst. & jur. l. 7. ff. de pact. cuius generis sunt obligationes ex conventionibus seu contractibus juris gentium, ut emptione venditione, locatione Conduetione, mutuo, deposito, societate, mandato, &c. descendentes.

XV. Sequuntur obligationes prætoriae, quæ aliter dicuntur honorariæ, eo quod totum jus prætorium alias honorarium dicitur §. 7. I. de jur. nat. gent. & civili l. 13. §. 2. de pact. & sunt ex, quas prætor ex sua jurisdictione constituit: quales sunt plures obligationes ex delicto, uti quæ nascuntur ex furto manifesto, rapina injuriis. §. 4. I. de noscal. act. vel ex contractu, ut talis est obligatio, qua pater & dominus tenentur ex contractu filii aut servi, quod cum eo qui in aliena potestate est. ex constituto, quo constituens pecuniam tenetur ei, cui constituitur

14 DISPUTATIO JURIDICA

§. 9. I. de act. item obligatio de peculio. §. 10. I. eodem, ex pignore seu hypotheca l. 17. ff. de pact. talis item est obligatio, qua is qui detulit jusjurandum, juranti tenetur. §. 11. I. de act. damni infecti, & si quæ sunt similes.

Observandum hic civiles obligationes omnes esse perpetuas: prætorias vero plerumque esse annales, præsertim pænales. tot. tit. I. de perpet. & temp. act.

XVI. Secunda obligationum divisio desumpta est à causa efficiente proxima: aut enim obligatio civilis oritur ex vero vel quasi contractu, aut ex vero vel quasi delicto. Sunt qui putant alias esse obligationes, quæ ad nullum ex his quatuor membris referri queant, propterea quod JCtus in l. 1. pr. ff. de obligat. & act. scribat obligationes oriri vel ex contractibus vel delictis, vel ex variis causarum figuris: sed hæc non obstant cum ibi per varias causarum figuræ nihil aliud intelligendum sit, quam quasi contractus & quasi delicta.

Igitur omnis obligatio civilis descendit ex contractu seu vero seu quasi, ut excludatur pactum nudum, ex quo de jure Romano non nascitur actio. l. 10. C. de pact. ideo omnibus pactis stipulatio subjici debet, ut ex stipulatu actio nasci possit, quid autem sit pactum definit lex l. 1. §. 2. ff. de pact. nimirum duorum pluriumve in idem placitum consensus. Nuda hæc conventio seu pactio stat in nudis placiti & conventionis finibus, nec certum nomen habens, nec ullam obligandi causam præter conventionem, semper enim tantum naturalis, nunquam civilis obligatio ex ea oritur. l. 7. §. 1. 2. & 4. ff. de pact.

XVIII. Cum dictum sit pacta per se, & sua natura nunquam producere actionem, sciendum est quædam tamen esse pacta, quæ obligationem & actionem pariunt, sed non qua pacta, & sunt primum illa, quæ manente simplici conventionis forma speciatim ad obligationis efficaciam sunt confirmata, vel jure civili, quæ pacta dicuntur legitima, quia robur suum capiunt vi legis aut S.. Cti l. 6. ff. de pact. quale est V. C. pactum donationis ex lege 35. Justiniane C. de donat. pactum dotis, quod dotem constituit. l. 6. C. de dot. promiss. vel jure prætorio, ut constitutum & conventio de pignore. l. 1. ff. de pign. act. l. 1. ff. de Conf. P. deinde & pacta

pacta incontinenti adjecta contractibus bonæfidej, quæ his contractibus tanquam pars eorum inesse creduntur. *l. 7. §. 5 ff. de pact. l. 13.*
C eodem. Unde eorum nomine competit actio vi & natura contractus, cui accedunt. *l. 79. ff. de contrah. empt. l. 6. §. 1. ff. de Aet. empt. l. 11. C. de pact.* de qua questione vide fusijs Vinnium *ad iii. f. de obligat.* Conventio non nuda, quæ à doctoribus vestita appellari solet, est quæ pure placiti fines egreditur, quod inde dignoscitur, si proprium nomen sortita sit, vel si præter conventionem alia obligandi causa subsit; id est, si negotium civile gestum sit. *l. 7. §. 2. ff. de pact.* atque hæc conventionis species uno verbo vocatur Contractus.

Hic jam methodi ratio nobis suaderet examinare contractuum naturam; sed cum scopus nostri instituti tantum fuit tractare obligationes, non vero contractus, non est animus de his sive atque operose agere, cum id negotium speciale quidem exigeret disputationem, attamen cum hæc duæ materiæ sibi invicem admodum affines sint, & quasi quadam cognatione & vinculo jungantur, cum causa efficiens obligationem sit contractus, & omnis obligatione dicatur descendere ex conventione, seu facto licto & ex maleficio, vel delicto seu facto illicito, non abs re me facturum arbitror, si quedam de contractibus in genere, & generales quasdam eorum divisiones, ac simul differentiam unam aut alteram inter contractus & pacta, quatenus horum intellectus principali nostro tractatui aliquam lucem adferre queat, breviter & summatim exponam, atque ita simul huic negotio finem imponam.

XVIII. *Contractus itaque est conventio sua natura obligationem ad agendum efficacem producens.* Genus est *conventio*, hoc est, duorum pluriumve in idem placitum consensus. *l. 1. §. 2. ff. de pact.* Cujus duæ sunt species, *contractus & pactum nudum l. 19. fin. ff. de Novat.*

Differentia hic ab effectu est, quia contractus producit obligationem & actionem, quo discernitur à pacto nudo, [que] est conventio in nudis placiti finibus subsistens, atque exinde naturalem tantum, non civilem obligationem, producit. *l. 7. pr. & §. ff. de pact. l. 10. l. 21. C. eodem?* Addidi in definitione sua natura ne definitio conveniret pactis legitimis, id est lege, edicto,

S. Cto

16 DISPUTATIO JURIDICA

S--Cto aut Constitutione confirmatis, quæ cum actionem non sua, sed legum vi producant, non sunt tamen contractus. *l. 6. ff. de pact.* Si quis à priori differentiam inter contractum atque pactum scire velit, ea hęc est. Omnis conventio habens proprium & legitimū nomen vel causam, id est, dationem aut factum, ea contractus est; quæ vero neque certum nomen habet, neque in effectum cæpit deduci aliqua datione aut facto, hęc est, pactum. Ex Gr. Dabo tibi centum ut servum manumittas, hoc est pactum, quia nec certi nominis hęc est conventio, neque datio vel factum adhuc intercessit at hoc negotium, do tibi & mox numero, jam contractus est, vel cum tu manumisisti, statim degenerat in contractum, cum antea finibus nudi placiti stabant. *l. 27. C. locat.*

XIX. Conventiones, quæ specialem formam & certum habent nomen vocantur contractus nominati ex quo genere conventionem sunt Emptio, Venditio, Locatio Conductio, Societas, Mandatum, Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus, & similes contractus, qui omnes obligationem & actionem certo jure producunt, non utique propter nomen, quod extrinsecum quid est, atque accidens, sed propter utilitatem commercii, cuius rei indicium est, quod certo ac proprio nomine appellantur; vel potius quia hęc conventiones ob frequentiorem usum tales accepere vim ac naturam, quæ etiamsi nihil specialiter dictum sit, ex ipso nomine satis intelligatur. *D. Grot. de Jur. Bell. ac Pac. 12. n. 3.*

XX. Quæ vero proprio & legitimo nomine carent, sed quibus præter consensum subest causa, ut hoc exprimit JCtus in *l. 7. §. 2. ff. de pact.* dicuntur contractus innominati, quia speciali nomine destituuntur, nec actiones, quæ ex iis competunt, certum & determinatum nomen habeant (cum alioquin actiones ex contractibus nominatis semper idem nomen habeant atque ipsi contractus, sed & omnibus illis datur actio præscriptis verbis *l. 5. §. 2. ff. de præscr. verb.* quæ ideo ita vocatur, quia negotium cum certum nomen ejus & actionis exprimi nequeat, per rei gestę narrationem, verborumque circumscriptionem exprimitur, & quod inde debetur ita ab altero petitur *tot. tit. ff. de præscr. Verb.* tales contractus

tractus vulgo enumerantur quatuor. Do ut des, Do ut facias,
Facio ut des, Facio ut facias.

XXI. Est & alia contractuum divisio, qua aut veri seu proprii aut quasi seu improprii contractus dicuntur. Veri contractus dicuntur, qui consensu expresso ineuntur. Quasi contractus sunt, in quibus quidem deficit mutuus consensus, attamen constant consensu præsumpto in quibus lex præsumit consensum ex facto aliquo vel negotio. Hujus species enumerantur, sex, negotiorum gestio, tutelæ administratio, rei communio, hæreditatis communio, aditio hæreditatis, & indebiti solutio. *tot. tit. f. de obligat. que quasi ex contractu oriuntur.*

XXII. Veri & nominati contractus iterum in quatuor abeunt species, aut enim re contrahuntur aut verbis aut litteris aut consensu. *§. ult. f. de obligat.* quod non ita est accipendum ac si dentur contractus, in quibus nullo modo desideretur consensus, cum consensus sit de natura ac essentia omnis omnimodo contractus, si non expressus saltē præsumtus. *l. i. §. pen. ff. ppact.* sed quatenus ad quorundam contractuum perfectionem sufficit merus consensus, nec præter consensum quomodo cunque declaratum aliquid amplius ad perfectionem desideretur, ad quorundam vero contractuum perfectionem non sufficiat solus consensus, sed quatenus aliquid plus quam consensus requiratur, sc. aut ipsius rei interventus, aut certa & solennia verba, aut litteræ: Ex his contractum re constantem igitur ita definio, quod si talis contractus, ad cuius pfectiōnē omnimodo necessarius est ipsius rei interventus; atque ejus species sunt quatuor, Mutuum, Commodatum, Depositum & Pignus. Contractus vero consensu constans, est qui solo consensu perficitur, ad cuius substantiam non pertinent verba, nec scriptura nec rei traditio. *tot. tit. f. de obligat.* Ex consensu ejusmodi autem contractus itidem sunt quatuor, Emptio Venditio, Locatio Conduictio, Societas & Mandatum.

Ea omnia, quæ hic generaliter & summatim de Contractibus tantum attigi penitus explicare non lubet, cum hæc pro modo nostri instituti de iis, quo ad elucidationem obligationum enarrasse sufficiat; atque ita jam manum de tabula.

COROLLARIA.

I.

Actiones sua natura mixtas dari nego.

II.

Distinctionem procuratoris universalis cum libera vel sine libera admitto.

III.

An procurator actoris teneatur dominum defendere in reconventione? Disting.

IV.

Inepta est quæstio an legitima sit pars bonorum, an vero hereditatis.

V.

Servitutes maxime sunt in bonis.

VI.

An mandator vulneris, cæde subsecuta, de ea teneatur? affirm.

F I N I S.